

RVBERTVS ABBAS LIMPVRGENSIS.



RVbertus ille natione Teutonicus in adolescē
tia sua literarum desiderio ad Gymnasium Pa-
risiense eius temporis nobilissimum profectus est:
Ibi philosophiæ & liberalibus studijs tanta diligen-
tia incubuit, ut brevi felicis ingenij beneficio in ui-
rum doctissimum & insignem philosophum eua-
serit. Cum autem consideraret præsentis uitæ ina-
nem esse contemplationem, uanitatis studium de-
seruit, & sacris literis operam impendit. postea ad
patriam reuertens in Limpurgensi cœnobio, Spi-
rensis diocesis monachus factus est. Scripsit ibidē
in Cantica canticorū libros quatuor, atque librum
unum de contemptu mundi. Tandem uero eius lo-
ci abbas ob uarias uirtutes electus est. Erat is adeo semper studijs aut preci-
bus deditus, ut aliquoties diuinæ reuelationes percepit, quibus futura præ-
dicendo homines ad pietatem adducebat. Claruit is non sine opinione san-
ctitatis sub Heinrico quinto Imperatore, Anno millesimo centesimo tricesi-
mo quinto. Trit.